

exesa est aliave exulcerata. cum purum ulcus est, diluitur fere ovi albore, quod est tenuissimum.

XXV. Ad sordida ulcera oculorum crustasque habentia, quas escharas vocant, item ad carbunculos, quos anthracas dicunt, facit bene et per se mel Atticum purum pyxide Cyprii aeris conditum et repositum mensibus 5 duobus nec minus: quanto enim diutius remanet, efficacius fit.

XXVI. Sed praecipue hoc collyrium, quod quidam Athenippum, quidam diasmyrnes, quidam euodes vocant, quia boni odoris est. [sed praecipue hoc] quod etiam ad pustulas papulasque et suppurationes oculorum facit et ad cicatrices non veteres et ad palpebrarum recentem aut in cor- 10 poribus tenerioribus aspritudinem. oportet autem eo ad sordida ulcera diluto cum ovi albo, id est aquatissimo, uti, deinde, cum lacrimae fluere desierint, cinereo superinungere. item ad pustulas ex ovo tritum facit, ad papulas vero et ad dolores cum rubore et distentione oculi sicca, cum lacte muliebri, ex aqua autem ad cicatrices recentes extenuandas et pal- 15 pebrarum aspritudinem tollendam, subiecto scilicet specillo aut inversa palpebra, si quis eo <non> utatur. componitur autem ex his: pompholygis lotae X p. VIII, aeris usti X p. VIII, croci X p. IIII, myrrhae X p. IIII, nardi X p. VI et victoriati, lapidis haematitis X p. II et victoriati, piperis albi grana decem, opii X p. I et victoriati, commis X p. X. teritur vino 20 Chio.

XXVII. Collyrium psittacinum, a colore ita dictum, facit ad epiphoras, quae cum tenui et acri lacrima consistunt, item ad ustiones et solutas cicatrices et vastum tumorem, quem, quia a loco interdum videtur propel-